


IN OBITVM
SERENISSIMI PIISSIMIQ.
PRINCIPIS
SIGISMVNDI III.
POLONIAE ET SVECIAE
MAGNI REGIS,

SIMONIS STAROVOLSCI

ORATIO.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXII.

IN OBITVM SIGISMVNDI III. POLONIAE ET SVECIAE MAGNI REGIS

SIMONIS STAROVOLSCI ORATIO.



ETSI vniuersum hominum genus, eâdem mortalitatis lege, summus ille rerum omnium Conditor deuinxit, ILLVSTMI PROCERES, atque Equites Sarmatiæ Nobilissimi; diuersos attamen immortalitatis assequendæ modos, cùm vnicuique nostrûm dedit, tum iis maximè, qui diuinitatis suæ vices, regio nomine & splendore conspicui, inter homines gerunt. Quos ille sanè, vt dignitatis prærogatiuâ ceteris eminere voluit, sic virtutibus quoque excellere iussit. Et singulis quidem hominibus, singularem aliquam vel iustitiæ, vel fortitudinis, vel constantiæ, aut liberalitatis laudem concessit; Regibus verò, & qui in exemplum aliorum sunt nati, ita cunctas simul virtutes ingessit, vt prudens illa antiquitas, diuinitatem quamdam in eis admirata, alios ex ipsis Heroas, alios Semonas, alios Diuos, alios Deorum ipsorum aut filios,

lios, aut imperij consortes, ob excellentiam, appellarit. Posteriori verò sæculo, & cùm iam Orbis Romam adorasset, qui paullò modestiùs in suos Principes laudes congesserunt, alios publico Senatus decreto Optimos, alios vulgi assensu Pios, alios discretiorum opinione Magnos, alios adulantium immodicis assentationibus Augustos, alios denique confusis omnium acclamationibus & fauore Patres Patriæ consalutarunt. Idem fecerunt & nostri Sarmatæ, qui, postquam inter alios inclytâ virtute illustres Principes suos, Lescos appellauissent Strenuissimos; Boleslaos, Fortissimos; Ludouicos, Felicissimos; Inuictissimos, Vladislaos; & Casimiros, Magnos; tres quoque Sigismundos, æternitatis laudem pariter assecutos, ob animi indolem diuersam, diuersis cognominibus indigetarunt. Et Primum quidem, ob venerabilem quamdam in procero corpore vultus maiestatem, & stupendam prorsus in cũctis suis actionibus sapientiam DIVVM, seu Dijs proximum, ab obitu appellarunt: quem dum in viuis ageret, tacito quodam inter se assensu PATREM REGVM ceterorum vocitabant. Quòd nimirum eum sic communissimè, inter reliquos suæ ætatis Principes, prudentissimi illi duo, Occidui atque Orientis Orbis Imperatores, Solimanus Turcarum, & Ferdinandus I. per suos Legatos salutarent. Secundum verò Sigismundum, huius Diui filium, quòd in eo omnia ad æternitatem famæ conspirarent, prisco Romanorum more, vix ex pueritiâ enatantem AVGVSTVM

GVSTVM acclamarunt, & patre inspectante atque gaudente, tam carum caput diademate cinxerunt. Tertium denique ex sorore istius nepotem, vel confessione hostium sæculi nostri summum, Fata nobis nuper eripuerunt. Qui, & in bellis gerendis Iagellonis ataui felicitatem, & in tolerandis aduersitatibus proaui Casimiri constantiam & grauitatem, & in administrando Imperio Sigismundi aui sapientiam, & in conciliandis externorum Principum amicitijs, alliciendisque subditorum animis, Sigismundi Augusti auunculi prudentiam, & in aggrediendis conficiendisque difficillimis Reip. negotijs, Stephani Battorei affinis sui fortitudinem assecutus, Magni cognomen ferre viuus debuerat, sed ciues ob incomparabilem pietatem & religionem, modestiùs extincto Pij addiderunt, vt suæ quoque pietatis in eum ac doloris luculentas significationes darent: quòd, & ille ipse moribus sanctus, lenis, moderatus, munificus & clemens, à Pontificibus Maximis PIISSIMVS epistolis vocitaretur; & quòd propagatâ passim sub illo Catholicâ Fide, in eius præconiis potissimùm emineat Religionis cura, & Numinis cultus. Verùm enimuerò, quia talium Principum vita, qui omnibus regijs virtutibus præditi sunt, quò diuturnior est, eò publicè vtilior: hinc sequitur, quòd & mors ipsorum numquam non acerba subditis & immatura videri potest, quamuis longissimè cum eis vixerint; quòd & multùm commodauerint statui illorum, ijsdem

artibus,quibus ipſi floruerunt,ad ſimilem gloriæ cupiditatem eos inflammando, & quòd gratam omnibus ſui memoriam reliquerint, iucundè amanterque ſuam ætatem cum eis traducendo. Diuinæ indolis Princeps noſter SIGISMVNDVS TERTIVS, qui & auita Poloniæ ſceptra virtutis æſtimatione aſſecutus, & Sueciæ paternam coronam, ob eiuſdem potiùs excellentiam, quàm vel ob iura hereditatis adeptus,ſic ea tum manu tum conſilio geſſerat, quæ æternitatem ſpirabant, vt non tantùm abundè ad gloriam vixiſſe, ſed cælum etiam ipſum promeruiſſe videretur. Non abſque acerbo gemitu tamen & lacrymis ſuorum, ex hoc terreno & temporali Regno,ad illud æternum & cæleſte abiiſſe credendus eſt: vtpote qui non modò regiam ſuam ſobolem, diuum genus,in luctu & dolore perpetuo reliquerit, ſed vniuerſam patriam noſtram, in aſſiduo mœrore, & præſentiſſimis periculis. Inſultat ſiquidem, morte illius auditâ, ferox Otthomanus nobis, qui haud ita pridem ab illo, perpetuâ cum ignominiâ ſuâ, pacem petere coactus fuerat. Reſumit ſpiritus & pharetram immanis Scytha,toties ad internecionem pænè ab illo deletus. Minatur reſarcire ſibi damna ſuperbus Moſchus, qui totus ab eo conculcatus, bellum, vrbibus & prouincijs datis, redemerat. Exultat perfida Valachia, quæ ſibi Principes ab illo imponi ægerrimè patiebatur. Lætatur turbida Tranſiluania, metu, ab obitu illius quem aſſiduè verebatur, ſoluta. Congratulantur ſibi in-

uicem,

uicem impij hæretici, fræno nunc licentioſè per interregnum excuſſo, quod à Pijſſimo Rege legibus erat ſibi impoſitum. Inſoleſcunt improbi ac ſcelerati omnes, iuſtitio ob extinctum Principem emortuo; & improperant bonis quibuſuis, nunc in metu ac triſtitiâ ſine rectore & protectore exiſtentibus,vt in dies & horas ſolitis furijs excienda timeatur paſſim hoſtium perfidia, belliqùe faces ſemel extinctæ, apertis Iani foribus accendendæ exiſtimentur. Cecidit enim ille, qui ſuâ prudentiâ ſpes omnium noſtrûm erigere ſolebat. Exanimatus iacet, qui animoſam gentem noſtram, ad quæque præclara & honeſta,ſuo exemplo animabat. Vitâ nunc caret ipſe, qui tot populorum ſalutem curabat, inque curam eamdem incumbentibus, vitæ ſubſidia liberaliſſimè ſubminiſtrabat. Meritò igitur lacrymis omnium Lechitarum oculi madent. Meritò vniuerſa Sarmatia ſuſpirijs, gemitibus, lamentationibuſque circumſonat. Meritò non Senatus modò ipſe, aut Aulæ miniſtri ſquallentes incedunt; ſed omnium prouinciarum Magiſtratus & Nobilitas pullati, omnia mœroris ac triſtitiæ inſignia oſtentant. Et apud Romanos quidem, ſolum Marcum Antoninum ex omnibus antiquis Imperatoribus Senatus atrâ veſte ornatus luxit, vrbſque vniuerſa audito mortis nuntio, publico luctu confuſa, mœrorem induit. Noſtri maiores Boleſlaum Chrobrium olim, patrum deinde ætate, Diuum Sigiſmundum Primum, non ſecùs ac parentes proprios, etiam ex infimâ

plebe,

plebe, anno integro atrati luxêre. Nos eorum exemplo nunc Optimum Principem nostrum, Piumq; Patriæ parentem SIGISMVNDVM III. non singultibus tantùm ac suspiriis inanibus sordidati deploramus, sed solidis ex virtutibus eius, ingentem laudum struem gratâ commemoratione accumulamus. Eruntque sanè plurimi (vt in publicis miseriis fieri amat) quorum immortales gemitus ad ipsam posteritatis memoriam venturos non dubito. Vt verò præsentem dolorem ex ipsius morte conceptum, aliquo modo in nobis leniamus, & imposita à Fatis onera subeamus fortiores, dabitis mihi veniam, ô Poloni mei, si ex innumerabili copiâ eorum, quæ de tam Magno Rege dici possunt, summa tantùm capita, in solatium vestri, modicè attingam: laudesque ipsius, ieiuniùs multò atque exiliùs, quàm virtutum ipsius maiestas requirat, oratione meâ percurram. Cùm notum exploratumque sit vobismetipsis, qui propriùs illum cognouistis, ijs eum supra ceteros mortales virtutibus floruisse, quarum præstantiam non dicam verbis exæquare, sed & assequi cogitatione, quamlibet exercitatissimo homini in dicendo, res sanè difficillima videtur.

Cùm igitur PIISSIMVS REX noster SIGISMVNDVS III. omnium heroicarum virtutum copiâ præditus, non minùs pace quàm bello laudatissimus sit; idcircò nos ea, in quibus exaggerandis & amplificandis veteres plurimi erant, ne numeranda quidem in eius præconijs, aut nominanda

nanda in nostrâ oratione censeremus; quòd patriæ claritas nimirum, generis nobilitas, opum affluentia, institutio iuuenilis ætatis, & corporis forma, obscurioris notæ hominibus, aut mediocris conditionis nobilibus, lucem aliquam afferre soleant; non Regibus aut maximis Dynastis, qui eos suâ familiaritate illustrant, & fauore in nouam claritatem attollunt: ipsi verò à suismet virtutibus adeò resplendent, vt hæ dotes in illis, velut minora lumina, à maiore perstricta, fugata penitus & extincta videantur. Ceterùm tamen, quia vt nouitas & obscuritas sanguinis, infringit & viles facit animos, in magnâ præsertim fortunâ positorum: ita habet aliquid momenti ad sumendum generosos spiritus, & aggrediendum quæque magna & ardua, posse meminisse maiorum suorum, eorumque exemplis, quasi stimulis quibusdam, ad amplitudinem incitari. Quis autem non videt, quantos ac quales stimulos ad virtutem habuerit SIGISMVNDVS noster, natus patre Ioanne Sueciæ Rege: matre verò Catherinâ, Diui illius Sigismundi I. & Bonæ Sfortiæ, Poloniæ Regum filiâ? Quæ singulæ familiæ, quas non historias orbi dederunt? quæ non exempla posteris reliquerunt? cùm Gustauus Ioannis pater, celebri ac peruetustâ apud suos familiâ, expulso ob tyrannidem Christierno, Daniæ & Sueciæ Rege, omnium conciuium suorum vocibus PATRIÆ LIBERATOR salutatus esset, sceptrisque Regni donatus ob meritum, posteris etiam suis hereditatem, rebus præclarè gestis,

conciliasset: Iagellonia verò domus, per ducentos & ampliùs annos, Sarmatiæ populis feliciter imperasset: Sfortiorum denique propago, maximè Italiæ decus, egregiis suis facinoribus exornasset. Verumtamen quia non sufficit claris ortum esse maioribus, nisi quoque præclarè ab iis institutus quis atque educatus sit: quandoquidem mollis educatio, & qualis in Principum aulis fieri amat, eneruet animos iuuentutis ad magna surgentes, & quasi sopiat assiduis voluptatum blanditiis regios spiritus. Iam autem qualis cuique contigerit teneræ ætatis educatio, in quâ, tamquam in flore futuræ virtutis, fruges apparere solent, quis non diligentiùs animaduertendum putet? SIGISMVNDVS itaque noster, quamuis varias inter hæreses suorum natus, à sanctissimâ tamen feminâ matre Reginâ, more Catholico baptizatus, & à puero sic institutus fuit, vt nihil totâ illâ ætatulâ haberet ante oculos, præterquam cultum Religionis; nulli rei studeret, præterquam bonis moribus; nihil peteret, præterquam decus & honestatem: quare & adolescentiam suam ita transegit, vt directum veræ laudis iter ingressus; nullum vel minimæ vestigium labis impresserit; vsusque præceptoribus, quos auunculus Poloniæ Rex, Sigismundus Augustus summiserat, linguas, Latinam, Italicam, Germanicam, Polonicam, & politiores litteras felicissimè didicerit: et in illâ ætate, quæ nihil cogitare, nihil loqui, nisi leue ac ludicrum solet, inusitatæ cuiusdam grauitatis & inau-

inauditæ prudentiæ significationes, omnium cum admiratione dederit; magnoque in aduersis rebus patri solatio, in secundis, vsui & voluptati fuerit: vt eum pater, optimus ac sapientissimus Rex, cunctis deliberationibus publicis, vix è pueritiâ egressum adhiberet; atque eo præsente, de bello, de pace, de tributis, vectigalibus, legationibus, aliisque maximi momenti negotiis decerneret, & suorum Consiliariorum sententias disquireret. Cùm itaque virtus non exspectet in eis annos, quos mundi Moderator, magnis ac nobilibus populis rectores destinauit; in illâ regiæ prudentiæ officinâ educatus, tantam sibi in illo iuuenilis ætatis flore cognitionem eorum quæ ad populos gubernandos pertinent, breui tempore comparauit, tamque optimè illis curis, sine quibus regia dignitas sustineri non potest, patre ipso edocente assueuit: vt cùm, inclyto illo Principe Stephano Battoreo, affini suo, rebus humanis exempto, Poloniæ Ordines de subrogando Rege deliberarent, & vt in liberâ electione solet, diuersæ factiones, diuersos Candidatos, ad sceptra viduata promouerent; essentque complures etiam non expetiti partium studiis Competitores (quos inter, si Diis placet, Cham Tauricanus, & Theodorus Moscorum Princeps, fuêre; quorum ille, ridendis atque pudendis conditionibus, iste verò magnis pollicitationibus, vicinum Regnum ambiebat: nam qui ad electionem conuenerant, Piastum alij, seu è nobilitate Polonicâ quempiam, alij è Battoreâ stirpe aliquem creandum Regem suadebant; alij

Maximilianum Archiducem ceteris omnibus præferebant; non deerant etiam qui & Alexandro Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duci, ob summæ virtutis opinionem, & rerum gestarum celebritatem immortali, cum ipsius gloriâ suffragia deferrent) potissima tamen pars Senatus & Nobilitatis, regnum illi offerret: non tam propter generis claritudinem, aut iuris alicuius prætensionem, quòd eum videlicet maternæ stirpis origo è Poloniæ Regibus deducta commendaret, quàm propter singularem quamdam in adolescentiâ adhuc tractandarum rerum scientiam, quâ exercitatissimos etiam senes superabat, vt diuinam potiùs quàm humanam indolem habere videretur. Post multas itaque contentiones duarum factionum, quarum vna Maximilianum Austriacum, altera Sigismundum nostrum elegerat, ad arma, vtroque Regnum sibi vindicante, & mox ad prælium res deuenit. Quo inferior Maximilianus, quia non erat in Fatis eum Sarmatiæ regnare, iuri suo renuntiauit, & Sigismundo nostro, viginti vnius tum annorum iuueni, liberam Regni possessionem reliquit. Qui quidem mirabili applausu omnium, Cracouiam Poloniæ metropolim ingressus, & die vigesimâ septimâ Decembris, anni supra millesimum quingentesimum octuagesimi octaui, ritu solemni inauguratus, non patrio, sed comitiorum iure obtinuit sceptrum: Dijsque melioribus adgubernantibus, quatuor & quadraginta illustribus victorijs gentem nostram nobilitauit; & cùm totidem ferè annos regnasset, eam semper

per

per Reip. operam nauauit, vt nihil, quod aut à fortissimo Rege, aut ab optimo Principe desiderari posset, prætermiserit. Sciebant hostes vicini, non inultum lædi posse, non despici Polonum. Non ignorabat Byzantij Tyrannus, Sigismundum sedere in Aquilone veluti fortunæ ceterorum Regum arbitrum. Extimescebat illius virtutem ferox Getes, atque perfidus Dacus & Hunnus. Suam pacem ex illo pendere intelligebat Moschus. Reuerebantur assiduè tam potentem vicinum Germaniæ Principes. Experti sunt illius fortitudinem, & nec suo sanguini parcentem viderunt, qui iura Regni & insignia vsurparunt sibi, Sudermaniæ Duces. Cùm enim certum ac exploratum sit, quantumuis egregiam in Rege virtutem, nisi fortitudinis opinio accedat, posse contemni; SIGISMVNDVS noster, omni propemodum ex parte ferocissimis gentibus cinctum se esse videns, experimentum potentiæ suæ coronatus cepit, non voluptatibus, aut adsuetæ dignitatis superbiâ, sed liberalissimâ pietate, iustitiâ, prudentiâ, fortitudine, industriâ militari. Et non duces modò bellorum sibi eiusmodi delegit, qui hostium temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam verò virtute superarent; verùm etiam milites statim eiusmodi scripsit, qui annos non plus ex factis quàm stipendiis suis numerarent. Cum quibus deinde, bis in Liuoniam, bis in Moscouiam, bisque in Prussiam diuersis temporibus progressus, omnes boni Imperatoris numeros impleuit, & exultan-

tem

tem hostium audaciam compressit. Maximè autem ad Smolenscum, difficillimâ illâ oppugnatione, quam orbis vniuersus inspectabat, per varia castrorum ferebatur, nunc militibus, nunc præfectis spem & animum, fronte, verbis, habituque sufficiens. Et munitissimo illo Moscorum propugnaculo expugnato, facilè vniuersâ Seueriensi ditione potitus, tam longè lateque nominis memoriam propagauit, vt nullus fuerit locus tam agrestis, nulla regio tam inculta, ad quam tantæ victoriæ fama non peruenerit. Quid dicam de bellis, quæ per suos legatos gessit? quid de victoriis, quæ eius auspiciis, à diuersis Ducibus, diuersis in locis fuerunt obtentæ? Et vt à Ioanne Zamoscio Regni Poloniæ exercituum Imperatore laudatissimo ordiar, qui, gloriosissimo illo Rege, Stephano Battoreo, ad Superos translato, interregni tempore publicæ quietis custos, Archiducem Maximilianum, factiosorum molitione, ad sceptra Poloniæ adspirantem, auspiciis SIGISMVNDI nostri à potiori parte Ordinum electi, & à Stanislao Carncouio Archiepiscopo Gnesnensi Primate Regni & Prorege, ritu solemni ad Varsouiam nominati, primùm ad metropolim Poloniæ vrbem Cracouiam feliciter profligauit: deinde reparantem vires in Silesiâ, cæsum acie ad Biciniam, in suam potestatem redegit. Et paucos deinde post menses in Moldauiam missus, famosissimum illum bellatorem, Michaëlem Valachiæ Regulum vno prælio victum, vniuersâ Daciâ expulit. Tandem sequentibus

tibus

tibus annis, Kazigereum Tauricanorum Scytharum Chanum, cum omnium Petihorensium, Circassiorum Nohaiscensium, Zauolgensiumq; Tartarorum potentiâ venientem, in campis Czeczoræ repressit, & pacem petere adegit. Idē, Carolum Sudermaniæ Principem (qui gentium iure peruerso ad se regnum Sueciæ trahebat, & Gubernator à SIGISMVNDO REGE creatus, coronam sibi anno Æræ Christianæ M. DC. IV. imposuit) Liuoniæ prouincias armis occupantem, cùm alibi sæpiùs acie fudit, tum Bialokamienio fortissimè expugnato, victum trans mare pepulit. Quem etiam paulò antè Nicolaus Radiuillus, Lituanæ militiæ supremus Præfectus, ad Gauiam fluuium primò, deinde ad Coquehusam ciuitatem, strenuè profligauerat, munitionemque ipsam quamuis validissimam, paucos intra dies expugnauerat. Atque ita his victoriis SIGISMVNDVS noster clarus, exiguo pòst interuallo, Simeonem Valachiæ, atq; Ieremiam Moldauiæ, fauentes Poloniæ Regulos, Principatibus ob id suis à Turcarum Tyranno spoliatos, per Ioannem Potocium virum bellicosissimum restituit; fugatoque oræ illius turbatore Moyse Zeclorum, Rozuanum quoque multis millibus Transsiluanici equitatus potentem, non modò acie vicit, verùm etiam capitis supplicio affecit. Omitto hìc triumphos, per Constantinum Ostrogium, Palatinum Kiouiensem, de barbaris, ad Dubnam & Caniouiam cæsis, feliciter reportatos. Omitto victoriam de ijsdem barbaris, per Valen-

Valentinum Calinouium partam; itemque trophæa à Ioanne Duce Zbarauio, ex pugnâ Zaſlauienſi reportata. Venio ad virum clariſſimum Staniſlaum Zolkieuium, qui per omnes militiæ gradus priſco more procedens, ſummus demum Imperator & Cancellarius Poloniæ à ſapientiſſimo Rege noſtro SIGISMVNDO creatus, intacta olim Romanis legionibus Moſcorum regna, vel vno prælio in campis Cluſſinenſibus ita debellauit, vt cæſis in acie multis millibus Rhuthenorum, captiſque Germanorum, Gallorum, Anglorum, Scotorum, aliarumque è transmarinis partibus conductarum gentium, integris aliquot legionibus, cum ſuo duce Comite de Pontibus, natione Sueco (qui ter bello captus à noſtratibus, ſemper Clementiâ SIGISMVNDI Regis noſtri, incolumis dimiſſus fuit) facilè deinde & ipſum Moſcouiæ Principem, Ioannem Suiſcium, cum toto ferè ſuo Senatu, & religionis Patriarchâ, Varſouiam in triumphum duxit, & vrbem Moſcuam Imperij ſedem, in Regis SIGISMVNDI poteſtatem accepit. Cumque ſe Moſchi annis ſequentibus, recollectis vltimis viribus ſuis, in libertatem aſſerüiſſent, & excuſſo iugo nouum ſibi Principem, præter Vladiſlaum SIGISMVNDI noſtri filium, cui ſeſe ſacramento obſtrinxerant, è medio ſui elegiſſent, mox recruduit inter vtramque gentem atrociſſimum bellum. Et Schiſmatici, iuſſu regio, per Ioannem Sapieham primùm apud Troiczam, ad octodecem millia cæſi: deinde per Alexandrum Gonſieuium,

ſieuium, Poczopouiam inter & Ruſſam profligati: tandem prope Smolenſcum, quod fruſtrà recuperare conabantur, à Nicolao Kiſzka Palatino Polocenſi victi, ſex millia ſuorum in acie reliquerunt. Repulſique ad extremum ingenti cum ſuo damno, à triennali obſidione Smolenſci, per inclytum illum Heroëm Carolum Chodkieuicium: à quo etiam ad Mozaiſcum, paucos poſt menſes, cladem fœdiſſimam reportarunt. Qui idem Heros bellis Liuonicis illuſtris, partis de Sueco toties vires ſuas recolligente, apud Volmariam, Pernauiam, Rigam, Derpatum, Dunamundam, Vendam & Kircholmiam, celeberrimis victorijs, nomen Sarmaticum per Europam nobilitauit. Et nec terrâ ſolùm hoſtibus patriæ, ſed mari etiam ingenti ſuo ſpiritu terrorem incuſſit, cùm naues Suedicas haud longè à Pernauiâ expugnaſſet & incendiſſet: ipſe contrà nullo prælio, & nec vnâ velitatione à Sudermano toto illo bello attritus. Pari felicitate idem ille comitatus eſt Sereniſſimum Principem VLADISLAVM, in Moſcouiam primùm; vbi domitis hoſtibus, terræ nobis & gentes ceſſerunt olim Moſcho regnatæ; Ducatumque Seuerienſem, & Czerniehouienſe Territorium, ita Poloniæ Regno adiunximus, vt nulla fidelior deinceps Prouincia nobis extiterit: deinde in Valachiam, contra Oſmanum Turcarum Imp. cum totâ ſuâ potentiâ venientem; vbi intra pauciſſimos dies profligatum eſt bellum, longiori mole attriturum mutuas opes, niſi prior Tyran-

nus pacem à nobis expetiisset. O felicem tum SIGISMVNDVM nostrum! qui paucis septimanis belluam illam ferocem conculcauit, quæ tot ætatibus iam Christianorum sanguinem bibere assueuit, quæ tot Regnorum cadaueribus vsque hactenus non exsatiatur; quæ quamcumque terram vngulâ equi sui tangit, eam extemplò aut sui iuris facit, aut ita proterit, vt ad pristinum suum florem nusquam redire valeat. Meminimus igitur omnes, inclyto Principe VLADISLAO ad bellum illud in Valachiam profecto, quæ totâ Poloniâ fuerit trepidatio, quæ sollicitudo Catholicorum Principum benè rei Christianæ aut genti nostræ apprecantium, qui pauor vicinorum populorum, euentum huius giganteæ monomachiæ expectantium; cùm SIGISMVNDVS etiam ipse, totâ Nobilitate euocatâ, armatus in Russiam processisset, suppetias laturus filio charissimo, si in Fatis aliter cecidisset. Cuius aduentu hostes audito, ita subitò perterrefacti sunt, vt mox pacem à nostris Ducibus exoptarent, qui anteà omnium Christianorum vires despicere soliti erant: stolidumque illum ac furentem Dominum suum, qui se die eâdem, quâ Caracas Bassa cum subsidiariis copiis ad eum venerat, in castris nostris cœnaturum superbè edixerat, cedere tempori, cedere fortunæ inuictissimi Regis nostri iusserunt; cùm iactabundus ille purpuratus, die sequenti quâ venerat, cum aliis suis collegis in primâ statim acie cecidisset. Tu, tu igitur, ô SIGISMVNDE, hanc nobis

nobis faustitatem peperisti, vt liberi adhuc à Turcico iugo viuamus: tu minitantem excidium patriæ nostræ barbarum, longè à finibus eius reiecisti: tu flammam atque ferrum, tu cædem, incendia, rapinas, libidinem, non à Sarmatarum modò tuorum, sed à reliquorum etiam Christianorum vitâ, tectis, fortunis, corporibus arcuisti: tu à templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem depulisti: tu vt subditos incolumes haberes, filium dilectissimum hostium immanitati opposuisti; vtq; veram Religionem, cuius semper eximius cultor fuisti, à fœdissimis Mahometi sectatoribus vindicares, contra Crucis inimicos, ipse cum exercitu intrepidus processisti: & vel solus orbi Christiano declarasti, posse barbaros vinci, & Turcas debellari; si modò Magnus ille Deus Pacis, & non dissensionis, Principibus Catholicis concordiam inspirare velit. Sed vt sereni temporis amœnitas, & leniter spirantium ventorum flatus, minùs hilararent animos nauigantium, nisi eos sæuæ tempestatis horror perculisset, furentisque maris rigor & asperitas antecessisset: ita minus Poloni victoriarum Regis nostri iucunditatem ac felicitatem sentiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitiâ & acerbitate compararemus. Quâ, durum profectò fuerat videre, tam multa Podoliæ oppida à Tartaris Præcopensibus direpta, tam multa incensa, tam multas Russiæ regiones vastatas, abductaque in seruitutem tam multa hominum nostrorum millia. Quibus sanè malis

vt mederetur Rex noster ſapientiſſimus, miſſo cum exercitu viro fortiſſimo Staniſlao Coniecpolſcio, ad Satanouiam primò excurrentes barbaros cecidit: deinde ſequentibus annis apud Dunaigrodum palantes profligauit; pòſt apud Martinouiam inſigni de iiſdem victoriâ potitus eſt, multis millibus liberatis, qui in æternam ſeruitutem ducebantur. Per Stephanum verò Chmielecium, immortalis memoriæ virum, ita immanes eorum exercitus, ad Tarnopoliam, ad Bialocerquam, atque demum ad Burſtinum annis paulò ſuperioribus deleuit, duces cecidit, captiuis ergaſtula repleuit; vt vaſta illa Scythia, vix paucos nunc habitatores, ne dicam bellatores, numerare apud ſe queat. At dum his grauibus atque atrocibus cum gente Muſulmanâ bellis SIGISMVNDVS noſter, pro re Chriſtianâ, occupatur; Guſtauus Rex iuuenis, & in gloriæ cupiditate immodicus, paternam perfidiam æmulatus, fratrem à tergo armatus inuaſit; pręcipuaſque Liuoniæ vrbes, proditione hæreticorum, occupauit: quamuis non impunè, Diis ipſis fortunam Piiſſimi Regis noſtri promouentibus; attamen dedit materiem augendæ Polonorum gloriæ, & triumphorum SIGISMVNDI numerum adauxit. A Chriſtophoro enim Radiuillo, militiæ Lituanę Magiſtro, cùm pluries velitationibus diuerſis in locis ſuperatus, tum in Curlandiâ ad Nitauiam atrociſſimè cæſus, vrbem occupatam deſerere debuit: à Nicolao Kiſzka, eius Legato, ad Dunam fluuium profligatus, turpiſſimè fugit;

fugit; ab Alexandro Gonſieuio ad Bauſcum cæſus, quas poſſederat arces, præſidiis amiſsis reliquit. Parique dolo pacem cum Leone Sapiehâ, ſupremo copiarum Lithuaniæ Pręfecto, pepigit, quâ inſolentiâ bellum mouit; ſcriptis primò, ante menſes aliquot, cum ſupradicto Duce Radiuillo induciis, cùm ab illo incluſus exitum in Sueciam, & ad mare, non reperiret. Nouo itaque bello experiri fortunam cupiens, in Pruſsiam, vocatus ab hęreticis Elbingenſibus, inopinatò irrumpit, loca opportuniora inuadit, & omnia cædibus & ſanguine permiſcet. Sed & hìc vbique Nemeſi diuinâ perſequente, quæ etſi improbos quoſuis condignis pœnis afficit, tum fidei datæ violatores præcipuè torquet, quòd fraude circumueniant innocuos & pios. Quare ad Neringam primùm, violatæ pacis Rex hæreticus pænas luit, globo ſclopetario percuſſus, & militem audaciſſimum in eâ oppugnatione amiſit: ad Derſauiam deinde letaliter bombardâ vulneratus, ſerò nimis didicit, fas & iuſtum non eſſe temerè violandum. *Nemo* enim *crimen in pectore geſtat*, inquit Magnus Lipſius, *qui non idem Nemeſim in tergo*. Igitur à Staniſlao Coniecpolſcio, eiuſque Tribunis, diuerſis in locis cæſus, multa ſuorum hominum millia ſtolidè amiſit, ad Amerſtinum videlicet, ad Puckum, ad Nouomlinum, ad Neiſtadiam, Scariſouiam, Marieuedram, Torunium, Ornetam, Olſtiniam & Stumam; vbi nunc, heu! paſſim hæreticorum inſolentiâ truncas vrbes exciſis Numinum tholis aſpicias. Quæ deinde belli fortuna,

 na,

na, & quàm varij ſub breuiſſimo tempore caſus
ſecuti fuerint, dum SIGISMVNDVS noſter ipſe
in Pruſſiam adueniſſet, nolo hîc commemorare,
ô Poloni mei, cùm vnicuique veſtrûm manife-
ſtum ſit, SIGISMVNDVM non fuiſſe fraterni
ſanguinis cupitorem; vt qui in Sueciam quoque
olim bis nauigans, non acrior ſceptri vindex
fuit, quàm ſalutis ciuium ſuorum. Vnde &
Carolum patruum ſuâ clementiâ nimiùm ab-
utentem, patienter tolerauit, & contra Gu-
ſtauum eius filium, eâdem benignitate vſus,
quo non minùs pace quàm bello ſe præſtare
oſtenderet; ſexennalibuſq; induciis pactis, poſt
horridas quadriennij tempeſtates, Iani ferrea
clauſit limina, & quietem publicam, optataque
cum tranſmarinis populis commercia Boruſſis
reſtituit. Taceo hîc Coſachorum Zaporoſen-
ſium continuas terrâ marique, regnante SIGIS-
MVNDO noſtro, victorias: cuius illi iuſſu, & per
ampliſsimas Moſchi ditiones victricia ſigna
circumtulerunt; & Scythiæ vaſtitatem peragra-
ti, ingentem vim armentorum inde, cæſis ſępiùs
barbaris, abegerunt; & Tauricam Cherſoneſum
multoties, perterruerunt, Crimenſibus atque
Præcopenſibus agris depopulatis: & Valachiæ,
Moldauiæ atque Beſſarabiæ incolas, bellis gra-
uiſsimis diuexarunt; & in Euxino demum pira-
ticam exercentes, Burſiam, Nicopolim, Trape-
zuntum, Caffam, multaque alia Europæ atque
Aſiæ pręſtantiſsima emporia diripuerunt, vici-
naſque Conſtantinopolis ditiones igni & fer-

ro frequentiùs depopulati ſunt. Quinimò, vt
ſunt alternæ bellorum vices, capti interdum ab
hoſtibus in præliis, & ad triremes condemnati,
ſæpiſſimè ſeſe auſu ingenti, Turcis occiſis, in li-
bertatem vindicarunt; optimiſque ſpoliis onuſti
ad portus Regis Catholici, aut Venetorum, cum
triremibus barbarorum appulerunt. Teſtis eo-
rum virtutis & fortitudinis Candia, quæ eos his
propè elapſis annis, aliquoties iam ad ſe confu-
gientes recepit. Teſtis Melita, quæ bonam par-
tem militum ex iis conſcriptam habet. Teſtis Si-
cilia & Neapolis, quarum Proreges, toties trire-
mibus Turcicis ab illis donati fuerunt. Teſtis de-
niq; ipſa vrbs Roma, ac in eâ Pontifex Maximus
VRBANVS VIII. qui reuertentes è captiuita-
te barbarorum, paterno eos affectu ſæpiùs exce-
pit, commeatu & pecuniis prouidit, eorumque
præcipuos in numerum Equitum S. PETRI
tranſſcripſit, (Ioannem præſertim Sulimam, &
Marcum Iachimouium, egregiæ fortitudinis vi-
ros) magnificentiſſimiſque muneribus & hono-
ribus exornatos, in Poloniam dimiſit. Taceo hîc
& Liſſouianos Coſachos, nuperrimis bellis
Moſchouiticis, ſuam originem & incrementum,
auctore Alexandro Liſſouio nactos, qui iuſſu SI-
GISMVNDI, vniuerſas Magni Ducis Moſchouiæ
oras & prouincias depopulati ſunt: ita vt nec
Aſtrachanum, ad Hyrcanum mare poſitum, nec
Album lacum, Zolotaiamque Babam, verſus Ri-
phæos montes ſitam, intactam reliquerint; ipſi
verò prædâ onuſti, infracti & incolumes in pa-

triam redierint, cùm SIGISMVNDVS pacem Schiſmaticis dediſſet, veriùs bello laſſatis, quàm odia ponentibus. Iidem Coſachi contra Turcas in Moldauiam, duce Rogauio, progreſſi, ſtrenuè ſeſe atq; amanter, pro Religione, nominiſque Sarmatici gloriâ, in acie geſſerunt; temporeque Staniſlaus Zolkieuius, Deciorum exemplo, pro patriâ deuotus ad Czeczoram occubuiſſet. Indeque reuerſi, anno eodem bellum in Hungariam, pro Sereniſsimo atque Inuictiſsimo Imperatore FERDINANDO II. (quem Deus Opt. Max. faciat de hoſtibus ſuis triumphatorem) iubente SIGISMVNDO tranſtulerunt. Et occiſis apud Humennam ſeptem millibus & quadringentis, de exercitu Gabrielis Betlehemij, totaque ferè Tranſiluanicâ Nobilitate apud Michaloueciam ad deditionem coactâ, ipſum Betlehemium ab obſidione Viennæ ex Auſtriâ reuocarunt: atque vniuerſas illius in Hungariâ ditiones, Caſſouiam vſque, ferro & igni peruaſtarunt. Iam verò Carpatijs Alpibus ſuperatis, Deus bone! quas clades in rebellibus Cæſari non ediderunt? quas prouincias Germaniæ non percurrerunt? quas copias hæreticorum non profligarunt, in Sileſiâ, in Morauiâ, in Bohemiâ, in Auſtriâ, & in Palatinatu Rheni? Præcipuas autem victorias obtinuerunt, apud Cremſam, apud Hornam, apud Labam, Tirnauiam, Neiſtadiam, Slauinam, Glacium, Prohaciciam, Habelſuerdam & Straczniciam, apertâ ſemper acie cum hoſtibus dimicando. Sed ad hanc vltimam ciuitatem præcipuè maximis

maximis viribus certatum eſt; vbi profligatis quindecim millibus Hungarorum, octo & viginti Betlehemij ſigna Sacratiſſimo Imperatori Viennam miſerunt. Inque illâ toto orbe celeberrimâ Pragenſi pugnâ, pars potiſſima victoriæ fuerunt: ſiquidem ſoli propemodum, cunctas Hungarorum haſtatas phalanges in fugam verterunt, & duo ſupra quinquaginta hoſtilia ſigna, inter quæ, ipſius Friderici aquilam, Cæſareo exercituum Præfecto, Comiti Bucquoio, atque Sereniſſimo Duci Bauariæ, cum ceterâ prædâ obtulerunt. Taceo quæ pro Demetrio reſtituendo noſtri homines in Moſcouiâ geſſerunt, Staniſlaus Zaporſcius, Romanus Rozinius, Alexander Zborouius, Ioannes Sapieha, Conſtantinus Viſniouecius, Alexander Ruccius, alijque fortiſſimi copiarum noſtrarum ductores; maximè ad Putiuliam, Calugam, Iaroſlauiam, & Rilſcum, vbi centum millibus hominum Ioannem Hodunium armatum, vnâ acie profligarunt. Atque ad Cromam deinceps, octuaginta millibus equitum potentem Petrum Boſmanium, in fugam turpiſſimam coniecerunt. Cumque Demetrius ipſe, Fato atroci à ciuibus ſuis interemptus, periiſſet; pro eius vxore Marinâ, Georgij Mniſecij Palatini Sendomirienſis filiâ, contra quoſuis Monarchiæ illius occupatores, diuerſis in præliis fortiſſimè ſeſe oppoſuerunt. Taceo & Samuelis Corecij, inter Roxolaniæ Dynaſtas bellicâ virtute Ducis præcipui, tredecem illuſtres de barbaris obtentas in Valachiâ victorias: quòd is nimirum

D ſumptu

ſumptu priuato bellum illud geſſerit,iniuſſuque Regio, Alexandrum Tomſſam,oræ illius regulum,eiecerit; poſtq; tot inſignes triumphos, inſoleſcentis fortunæ ludibrio,ipſe demum Conſtantinopoli triumphatus fuerit, vbi & vitæ finem fecit,nutu Tyranni in carcere ſtrangulatus. Taceo denique toties graui prælio compeſcitam Zaporoſenſium rebellionem, ciuiliſque tumultus veſana arma, vbi multis magnitudine criminum à ſpe veniæ excluſis, ſtrenuè aut mori aut vincere placebat, cùm tamen contra omnium ſpem SIGISMVNDVS ſuperior extitiſſet: & licet res ſuas in anxio ſitas ante prælium videret, Deorum munere victor factus, eorum ſe nihilominùs bonitati aſſimilare ſtuduit, & regnum clementiâ potiùs retinere maluit, quàm vti obſtinatâ defenſione maieſtatis. Cumque illi, qui ſeditionis capita fuerunt, de ſæculi genio quererentur, qui eâ tempeſtate populi mentem, in toto ferè Orbe, auertiſſet in tumultus (anno ſiquidem eodem ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſexto, & in Turciâ Baſſa Alepienſis arma aduerſus Sultanum ſuum mouerat, & in Perſiâ in mutuum exitium diſſidère ciues à ſuo Rege Xaabba: Moſcouitæ tunc Principem ſuum Demetrium occiderant; Veneti contra PAVLVM V. Pontificem Max. inſurrexerant; in Germaniâ Brunſuicenſes contra Ducem ſuum Henricum Iulium nefarium bellum mouerant; Donauerdani contra Imperatorem rebellionem, & Hiſpani contra Regem ſuum in Belgio variis in locis ſeditionem moliti ſunt: in Galliâ inter

Ducem Bullionium & Regem, ingentes motus extitère: in Angliâ pluſquam Catilinaria conſpiratio facta erat: in Hungariâ denique atque Tranſiluaniâ Botſcaius cum ſuis omnia turbabat) à SIGISMVNDO Rege facilè veniam impetrarunt: reliqui autem, inquietudine rerum nouarum, ipſi ſe ad reuerentiam maieſtatis à ſeditione receperunt. Atque ita paſſim domi atque foris hoſtibus ab illo profligatis, alij virtutem eius amauerunt, alij timuerunt felicitatem, omnes verò inuictum animi robur & conſtantiam admirati ſunt. Verùm hęc bellorum ſunt, ac Martis ſtrepitus: quid illa pacis ſtudia? Fuítne alius Rex Poloniæ vllus amantior concordiæ, aut diligentior publicæ quietis fundator? qui ſciens maximũ ad potentiam comparandam ſtabilimentum eſſe, contractam cum potentioribus Regibus affinitatem, & cum vicinis populis obſeruatam inuiolabiliter fœderum ſanctitatem, ita vtroq; præſtare ſtuduit, vt & fœderibus iunctos prior non offenderet, & contra barbaros non niſi laceſſitus arma ſumeret: & Chriſtianorum Principum, etiam remotè poſitorum, amicitiam vltrò ipſe coleret; vel ab Attico Oratore edoctus, *præcipuum Principis munus eſſe, amicos parare*, vtpote quibus nullum firmius Imperij inſtrumentum eſt. Igitur Auguſtiſſimam Auſtriacam domum affinitate ſibi deuincire cupiens, ANNAM primò Archiducis CAROLI filiam, FERDINANDI II. Cæſaris feliciter regnantis ſororem, in vxorem duxit: cui ſatis haud dixerim plus ornamenti pudor mulie-

bris dederit, an pietas, an digna fortiori ſexu prudentia. Hæc etenim in Sueciam maritum comitata, non ſuperbiâ, non faſtu, feros illos homines, & à Catholicâ religione alienos offendit; ſed humanitate, modeſtiâ, atque munificentiâ regali, ita omnes ſibi deuinxerat, vt inter ſuæ felicitatis titulos numerarent, ſi in tantæ Principis aulâ liceret ſuis filiabus ad virtutem erudiri. Nam quod de Pompeiâ Plotinâ, Traiani Imperatoris vxore, ſanctiſſimâ Plinio dictâ, ferunt, eam à populo Romano ductam in palatium, quod Imperatores inhabitabant, poſtquam maritus à legionibus Germanicis, Neruâ anteceſſore ſic iubente, Imperator eſſet ſalutatus, ex gradibus, vnde ab omnibus conſpici exaudirique poſſet, ad populum circumfuſum conuerſam dixiſſe: *Talis huc ingredior, qualem etiam egredi opto.* hoc Regina noſtra meritò de ſe dicere poterat, quæ diademate Regni illius ſumpto, per totum tempus quo in Sueciâ manſit, imò quoad vixit in Imperio Sarmatiæ, ita ſe geſſit, vt de eâ nullus tam ex Suecis, quàm ex Polonis, conqueri potuerit. Quæ, pôſtquam exiuit mortalitatis ſenſus, relicto vnico filio SIGISMVNDO VLADISLAO, qui fauentibus Diis anteiuerit indole ciuium vota, SIGISMVNDVS REX noſter, ne viduitate ſuâ tam vtilem Sarmatiæ populis Auſtriacorum affinitatem deſerere videretur, defunctæ vxoris ſororem CONSTANTIAM, cùm naturæ tum animi ornamentis exultam Heroinam, ac matronalis verecundiæ cuſtodem fideliſſimam, matrimonio

nio ſibi iunxit: exque eâ liberos, quos Superi volunt incolumes, quinque, raro fecunditatis exemplo, ſuſtulit, IOANNEM CASIMIRVM, IOANNEM ALBERTVM, CAROLVM FERDINANDVM, ALEXANDRVM CAROLVM, lectiſſimos Principes, & ANNAM CATHARINAM, inter rara pulchritudinis & morum exempla, vnicam filiam. Qui anno ſuperiore piiſſimâ Parente orbati, deflent nunc cum totâ Poloniâ obitum deſideratiſſimi Patris atque ſanctiſſimi Regis. Nec ſanè immeritò: nam quid ſanctius poteſt eſſe Principe iuſto, clemente, & benefico? quid optabilius Rege ſapienti & probo? quid præſtantius pio & religioſo; ſi exemplo, ſi legibus emendabit ſæculum, ſi ad ſummi Numinis cultum, & æqui ac recti obſeruationem, ſuo exemplo & liberos & ciues adiget? Talem olim inter gentiles Principes, Senatus populuſque Romanus, Claudium Quintillum feſtiuis acclamationibus, Galieno interfecto, Imperatorem ſalutauit; *Auguſte*, inquiens, *Claudi, Dij te nobis præſtent. Claudi Auguſte, Principem, qualis tu es, ſemper optauimus. Claudi Auguſte, tu frater, tu pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu denique verus Princeps.* Talem quoque nos inuidiâ Fatorum ereptum SIGISMVNDVM noſtrum deploramus; & cùm multas in eo regias virtutes deprædicamus, tum maximè illam, quæ veluti ſol inter minores luces reſplendebat, proprieque ſibi regnum poſtulabat in regno, æquabilem omnibus iuſtitiam cum ipſo extinctam dolemus. SIGISMVNDE REX, *Deus te nobis in-*

columem & longæuum seruauisset; non eas interregni miserias, non ciuium discordiam, non metum exterorum sentiremus: quæ mala nunc paßim, te sublato, experimur. REX SIGISMVNDE, *tu optimus legum nostrarum moderator, tu bonorum omnium parens, tu fortunarum nostrarum auctor, tu libertatis propugnator, tu otij, quietis, salutisq; patronus fuisti.* SIGISMVNDE, *rerum nostrarum arbiter sanctißime, tu merita nostrûm æquâ lance vibrabas: tu honores, tu dignitates ex congruo dispensabas: tu aleam belli, tu casus, tu labores leniebas. Nunc verò deinceps quæ nostra vita erit, amore, beneuolentiâ, sapientißimis consiliis, amantißimis congreßibus, vultu, ore, oculis, consuetudine, sermoneq; tuo prudentißimo suauißimoq; sublato?* Cùm enim nullum aliud, præter Poloniam, in Christianitate Regnum sit, quod Principem suum magis legibus circumscriptum, & assiduis laboribus adscriptum habeat: vt nimirum ipse quotidie subditorum suorum caussas diiudicet, tribunalia perlustret, querelas excipiat, controuersias cognoscat, Regni pericula prouideat, Comitia & Senatum suâ præsentiâ & suâ maiestate honestet, sententias Consiliariorum examinet, honores distribuat, omnesque Magistratus, Iudices, ac Præfectos constituat, & in officio contineat; nec tenuiores propter imbecillitatem circumueniri, aut locupletiores inuidiâ opprimi patiatur: atque vno verbo, ne partem Reipub. sed totam ipsam Rempublicam auctoritate & vigilantiâ suâ tueatur, & quæque minima eius negotia per se potiùs quàm per administros tractet: quis non laudandum SIGISMVNDVM nostrum, atque vnà dolendum censebit, quòd tam citò obierit? qui toto Regni sui tempore, tam in iudiciis, quàm in Comitiis diligentißimè præsidebat, pauperum caussas patientißimè audiebat, lites dirimebat, iustitiam non differebat, neque vllius meritorum aut conditionis rationem in decernendo habebat: sed, pro rei necessitate, modò ad seueritatem, modò se vertebat ad lenitatem, vt alios clementiâ alliceret & beneficiis, alios autem pœnâ perterrefaceret; Principatus non in alium finem conditos esse putans, quàm vt vi sublatâ, quæ omnia ad potentiores trahebat, ex naturæ & rationis imperio agantur res humanæ. Quare & litibus tollendis, aut saltem minuendis, veteres Imperatores, Ælium Hadrianum Iustinianumque Magnum, æmulatus, statuta Magni Ducatus Lituaniæ, per illustrem virum Leonem Sapieham, Supremum tunc Prouinciæ illius Cancellarium, correxit: consuetudines Volhyniæ emendauit: leges Comitiales publicauit: multasque ambiguas in aliis Regni Poloniæ Prouinciis iuris quæstiones, partim definiuit, partim ius nouum ex vsu publico constituit. Municipalia verò & consuetudinaria iura, quæ in singulis pænè vrbibus tam Regalis quàm Ducalis Prussiæ variant, nec satis certa & in Curlandiâ aut Liuoniâ habentur, vt ad Curiam, à Supremo Cancellario examinanda, suaque auctoritate probanda, singuli transmitterent, prudenter sanciuit. Quoniam verò mos est nobis Sarmatis, constituendi rectores vrbium vel prouinciarum in eam legem, vt non antè magistratu, quàm vitâ decedant:

dant: eapropter in honoribus distribuendis, semper magnorum animorum delectum habebat, nec cooptabat in Senatum, aut ad Præfecturas mittebat, nisi homines fortitudine aut litteris notos, & qui publicæ prudentiæ fuêre apti. Similiter & in conclaui solitus secum habere viros, quos non adeò crebros ætas hæc protulit: quorum consilio sic publica & priuata gessit negotia, vt optimum Principem, ac diligentem POPVLORVM PASTOREM præ se ipse tulerit; docueritque se eum Regem esse, qui & domi Regnum legibus tenere, & foris armis tueri posset. Vices enim rerum & experientia regnandi, tantam solertiam capaci eius animo impresserant, vt nihil non viderit, nihil non perceperit, nihil non intellexerit; sed in vnaquaque re atq; occasione, quid rerum, personarum, locorum aut temporum varietas postularet, ipse per se diiudicare sciuerit. Vnde si quid belli aut pacis tempore agendum erat, nihil iam ille nouum suspicabatur: si quid in publico aut priuato erat dicendum, id omne sapientiâ aspersum ex ipso audiebatur: vt non frustrà principes Philosophorum, Plato & Aristoteles, prudentiam imperantium propriam esse dixerint, quòd ea nimirum nemini mortalium, aut meliùs conueniat, aut citiùs contingat, quàm iis qui summæ rerum in populis præsunt, & vel nolentes quotidianâ earum tractatione, maximam experientiam acquirunt. Maximè, quibus magnus & à naturâ ipsâ ad honestatem conformatus animus inest, quique nec asperitatibus terreri, nec vllâ vtilitatis specie à recto & honesto auocari potest. Periclem

clem olim narrant Historiæ, ita semper rectum & immotum animi robur tenuisse, vt nihil putarit indignius futurum, quàm si aliquod fracti animi signum, mœroris caussâ muliebri more edidisset. Nos SIGISMVNDVM nouimus eâ semper moderatione ac constantiâ fuisse, vt siue læta siue tristia nuntiarentur, nihil prorsus moueretur; sed quemcumque casum Deus aut fortuna inuexisset, huncaptè & quietè ferret. Et alij certè Principes, si auiditate æris infames sunt, si nimio venationum studio amittunt Reipub. curam, aut libidinis exemplis inficiunt sæculum, vel inconsultis amicitiis publicam inuidiam concitant, moniti ab amicis subitò exardescunt; vel contrà immodicis adulantium laudibus, ac suâ purpurâ occæcantur: cùm omnes ferè Principes viros eo fato nasci videamus, vt aliquid saltem pennarum ad hunc viscum relinquant. Noster attamen Rex, quamuis rectam semper in moribus & actione omni vitam vixerit, ex honesti normâ; nusquam tamen, vel monentium rationibus exasperabatur, si quando à Senatu in publicis reprehensus esset; vel violentâ adulationis procellâ inclinabatur, si ab Aulicâ peste priuatim obsessus fuisset; vel casu aliquo fractus animo vacillabat, si quid non ex voto successisset. Cùm nihilominùs commune generosis spiritibus videamus esse, quos præcipuè in bellis fortunæ fauor attollebat, aduersitate aliquâ deiici aut sollicitudine frangi: multosque sciamus, non è Græcorum tantùm aut Romanorum scriptis, sed è nostris quoque gentilitiis Historiis,

mortem oppetiisse acerbitate animi, quòd nimirum, post tot victorias ac triumphos, fuerint ad extremum ab hostibus suis profligati. Sic Boleslaum Chrobrium, anxietate animi, in languorem primùm corporis, ac deinceps in morbum, ex quo & obiit, incidisse legimus; quòd solitus semper vincere, demum post quadragesimum septimum triumphum, ab Haliciensibus in Russiâ fuerit profligatus. Sic Boleslaum Crispum eius filium, post tot secunda prælia & victorias, à Prussis superatum, mœrore animi contabuisse scimus. Sic Vladislaum Hermanum domi & foris continuò felicem, morbo & angore, ob discordiam filiorum cum Sececho, viro de se benè merito, confectum obseruarunt, qui in domesticis Historiis peregrini non sunt. Sic alios plures, tum veteres tum recentiores Heroas, atque inter eos Constantinum Ostrogium, Lituanæ militiæ Imperatorem, patrum nostrorum æuo, post tres & triginta insignes de variis Poloniæ hostibus obtentas victorias, à barbarorum multitudine ad Socaliam acie fusum, breuî pòst vitam cum morte, ex animi angore, commutauisse, adnotatum est. Non facilè namq; sublimis animus ignominiam sufferre potest, qui continuâ vsus prosperitate, putat eam sibi à fortunâ deberi, quæ assiduo rotatu suo cuncta ita permiscet & reuoluit, vt nihil firmum solidumq; in suo loco permaneat. SIGISMVNDVS verò noster, probè cognoscens inconstantis huius Deæ volubilitatem, ita constantis animi firmitate, quidquid illa aut casus offerret, omnia corrigebat, vt nulla

nulla vmquam in vultu eius consiliorum aut affectuum vestigia deprehenderentur: quodque in regnante potissimum, sciebat silere. Et cùm tot victoriis, vti iam diximus, & triumphis illustris existeret, quot certè ne veterum quispiam Imperatorum, qui FAVENTIS FORTVNÆ in cubiculo suo auream statuam asseruabant, translatam ad se, de more, post decessum alterius, numerare potuisset; non tamen perdiderat animi firmitatem, & robur illud innatum, cùm exercitus suos in Moldauiâ semel, in Liuoniâ semel, inque Prussiâ semel, diuersis vicibus & annis inaudiuisset profligatos, semel in Valachiâ à barbaris cæsos; sed Socratico potiùs ore, risit hanc volubilem Martis aleam, rerumque sublunarium continuam rotationem: veram fortitudinem non in eo tantùm consistere iudicans, vt quis assiduè hostes suos vincere, res arduas præsenti animo aggredi, periculis se obiectare, & mortem non timere possit; sed vt sciret quoque humana contemnere, casus omnes despicere, nulli homini, nulli fortunæ succumbere, & altiorem denique animum habere, quàm vt obrui iis, qui in hac vitâ sunt, fluctibus queat. Vt itaque deinceps fortunam inclinantem, aut aliò tendentem prudentiâ corrigeret, ad exempla semper æui iam exacti omnia consilia, omnesque actiones suas componebat: etiam, cùm arma gentilia ciuilibus tumultibus exsonuêre. Iam verò quis nescit peiùs nocere qui intra viscera hærent, regijsque consiliis incubant, quàm qui ex aperto fiunt hostes? Omnia

nia aſt tamen iſta, conſtanti ille pectore excepit, prudenti conſilio ſopiuit, & ex ſeditionis manibus, regiâ clementiâ, tela excuſſit. Clementiâ dico, quia hæc illa virtus eſt, quæ amabilem, quæ firmum, quæ illuſtrem Principem facit: hæc quæ lenit, quæ temperat eius imperium: hæc quæ noxios eripit, quæ lapſos erigit, quæ ſeruatum it eos ipſos qui ſe perdunt. Quapropter hîc prætereo, quâ manſuetudine SIGISMVNDVS noſter, initio Regni ſui, hærentes animis Polonorum diſcordiarum fibras euulſerit, quâ humanitate ignouerit iis qui pro Auſtriaco arma contra ſe ſumpſerant, quâ dexteritate inteſtini tumultus fluctus compoſuerit; quia naturæ ſuæ bonitate, cùm alia honeſta omnia, tum concordiam inprimis & animorum conſenſionem amauit; intrinſeca verò ciuium odia & diſſenſiones, ſemper capitales Reip. peſtes iudicauit. Vnde ſicut tum temporis, cùm coronam ſumpſiſſet, ne cruenta eſſent regnandi auſpicia, ſe omnibus, quidquid in eum diem deliquiſſent, remittere edixit: ſic & ciuilis belli tempore Rokoſſanis felicitatem ſuam, quam ab illo acceperant, non ferentibus, temporumque ac fatorum crimen cauſantibus, poſtquam redierunt ad reuerentiam Maieſtatis, turbarum excitatarum amneſtiam ex facili dedit; & non modò abolenda odia curauit, ſed & odiorum mentionem; ſciens, peſſimo loco eſſe, niſi quis pati iniurias ita poſſit, vt videatur non ſenſiſſe. Illæſâ attamen Maieſtate: cuius tuendæ, ſi quiſquam alius noſtrâ ætate Prin-

Princeps, tum SIGISMVNDVS noſter ſtudioſiſſimus fuit, & in geſtu, cultu, aulæ pompâ, miniſteriorum varietate ac copiâ, itemque ſatellitio Regem SIGISMVNDVM Auguſtum auunculum ſuum imitabatur. Quem ferunt, qui ſub eo vixerũt, tria ſemper millia Nobilium in ſuo comitatu habuiſſe, ſeruorum vltra quindecim millia: ſex prætereà millia equorum generoſiſſimorum, è diuerſis mundi partibus conductorum, perpetuò in ſtabulo ſuo aluiſſe, præter innumerabiles greges, ſobolis propagandæ gratiâ aſſeruatos, & curribus atque impedimentis trahendis tot delectas quadrigas. In omnibus inquam his (etſi numero paulò minore) SIGISMVNDVS noſter ſplendidus fuerat ſemper, quod ex magnificentiâ Regum de viribus & opulentiâ regionis exteri ſoleant iudicare; ita tamen ne ære alieno indigeret, ad quotidianos Regiæ ſumptus, quod priſcis Regibus noſtris ſæpiſſimè acciderat. Atque hinc factum, quòd illi frequentiſſimè opes proprias ciues ſui donabant, vbi illas non ex prodigæ mentis morbo, ſed efflagitantibus patriæ rebus expoſcere animaduertiſſent; & non cohortes modò, integraſq; legiones militum, tempore belli alicuius vltrò offerebant, ſed & villas, arces, poſſeſſiones, aurum, argentum atque gemmas pretioſas præſentabant, æris verò ſignati, interdum ad trecenta millia florenorum vnus: maximè de Sacerdotum cœtu, & qui infulas geſtabant. Et quamquam porrò ad publicam pacem eſt, ne ciuium in ſe fidem Princeps immodicis

vectigalibus lacessat; contribuebant tamen quoties opus fuerat libentissimè, & absque vllo seditionis tumultu, probè scientes bella non minùs auro quàm ferro geri solere: præsertim, cùm illa non ad libitum Regis, aut eius Consiliariorum, apud nos gerantur; sed ad defensionem patriæ tantùm, & conseruationem Catholicæ Religionis: idque omnium Ordinum Regni assensu. Cùm autem in alto positum non alta sapere, & fortunæ indulgentiâ ac liberalitate non abuti perquam difficile sit; SIGISMVNDVS noster eò maiorem modestiæ laudem meretur, quòd in summo fastigio positus, & omnibus ad tuendam regiam dignitatem necessariis sufficientissimè instructus, totq; præterea rebus domi & foris prosperè gestis illustris, nihil ad fastum, nihil ad superbiam, sed omnia ad decus, ad honorem, ad gloriam, summâ prudentiâ, ac constanti moderatione referret, essetq; accessu facilis, alloquio blãdus, aspectu amabilis, sermone comis: & qui liberi populi se Regem esse sciens, liberas Senatus sententias, interdum etiam in se dictas, patienter ferebat, legatorum municipalium expostulationes modestissimè audiebat, supplicantium libellos libentissimè excipiebat, & siue concedendo, siue negando, neminem à se tristem dimittebat. Erat autẽ ipse formę adeò singularis, & egregiæ corporis proceritatis, vt, veluti laudatus ille Germanicus, visu & auditu iuxtà venerabilis esset. Quam hercle venerationem augebat adhuc abductio & secessus (quia viles plerumque illi, qui nimiùm ciui-

ciuiles) tum ipsa senectus, & morum compositorum grauitas, ac præter regium assuetumque Imperio nomen, vultus excelsi animi index, & suo fastigio digna Maiestas; vt sæpissimè non barbarorum tantùm Principum legati, sed Christianorum etiam Regum oratores aspectu ipso perterriti obmutescerent, suamque legationem in aliud tempus differri rogarent, quoad sese recolligerent. Quos ille deinde affatu suo & regiâ liberalitate recreabat. Liberalitate dico, quâ nihil est naturæ hominis accommodatius, & quâ ille in tantum in se omnium beneuolentiam prouocabat, vt non modò in legatos externorum, sed in Reges quoque ipsos munificus esset. Ciues verò suos, non tamquam subditos tractare solebat, sed tamquam amicos & membra Regni omnes æqualiter amplectebatur; omnibus se partiebatur, etiam vilioribus, vt communis videretur omnium parens esse. Nec scio sanè quemquam ex Proceribus nostris reperiri, qui illius beneficentiâ & opes suas & dignitatem non auxerit: plurimi verò ex obscuro ad insolitam claritudinem deuenerint, suffecti quasi in loca eorum, quorum familiæ, vt in mundo nihil æternum est, illo regnante fatalem suam periodum peregerunt; vt post conditum Sarmatiæ Imperium non fuerit Rex SIGISMVNDO nostro munificentior, liberalior, & qui plures è sordibus in lucem protulerit, qui magis fauerit virtuti. Iam autem pietatis & religionis in Deum quàm luculenta toto vitæ suæ tempore testimonia dederit, vel hinc collige-re

re facile, quòd puer adhuc, & vix tum octennis, improperantibus per iocum aulicis, quòd in religione matrem feminam, rerum diuinarum ignaram, potiùs imitaretur, quàm patrem virum iudicio grauem, & peritum reformatæ religionis, non tantum piè ſed & prudenter reſponderit, ſe credere velle cum auunculo Rege Poloniæ, qui Pontificem Romanum religionis Chriſtianæ caput ſectaretur, non cum patre, qui nouitiam religionem ſuſceperit, minimè probatam Principibus Chriſtianis & Pontifici Summo. Quare ad Regni gubernacula admotus, præcipuam ſemper in eâ re curam adhibendam cenſuit, vt ſacris antiquus honos, cultuſque debitus religioni deferretur: & vt primùm cum viris Eccleſiaſticis, ſolidioris pacis conſilia iniit, ſtatim poſt Comitia coronationis incenſis ſtudiis contendit, hæreticos ad veram religionem, ſchiſmaticos ad vnitatem Eccleſiæ reuocare: expertus ſub patre in Sueciâ, peruicaciſſima ciuium odia eſſe, quæ ex diuerſarum religionum litibus feruent. Cumque ſciret plus illos corrigi blanditiis, exemploque & ſobriâ diſſertatione, quàm profeſſo ſemperque mutuo faſtidio poſſe; poſt celebratas eam ob cauſam aliquoties Antiſtitum ſynodos, decreuit, cetera in eos manſuetus, nequaquam Reip. munera inter eos, ſed inter Catholicos tantummodò viros diuidere: Societatis verò IESV Collegia, aliorumque Religioſorum virorum Cœnobia, locis magis opportunis per Poloniam erigere: vt, qui à veræ religionis

nis ſeptis aberrabant, partim doctrinâ illorum ac vitæ ſanctitate, partim politicâ ignominiâ & verecundiâ, ad gremium Eccleſiæ reuocarentur; ne videlicet tamquam impij à reliquis conciuibus, priuatione honorum diſcriminarentur. Nullâ enim aliâ ratione faciliùs vincuntur, qui cælo, argumentis, veterumque præceptis, vnam pertinaciam anteponunt, adhærentque Luthero ſeu Caluino, quàm honorum aditu, & ſpe regiorum munerum cautè præcluſâ: qui ſi malo pudore prohiberentur ſuam ſectam eiurare, ſaltem liberis ſuis conſulerent, magiſtriſq; eos traderent, per quos erudirentur ex veteri more in pietate Catholicâ, viuerentque deinceps in regiâ gratioſi. Quo ædepol prudenti inſtituto effectũ eſt, vt PIISSIMO Principe noſtro SIGISMVNDO regnante, vltra ducenta diuerſorum Religioſorum Cœnobia à fundamentis ſint erecta: plura quàm triginta Societatis IESV Collegia, pro erudiendâ iuuentute inſtituta, dueq; de nouo Academiæ apertæ, Zamoſcienſis & Poſnanienſis: plurimæ ſacræ Monachorum atque Monialium coloniæ in Poloniam deductæ; Camaldulenſium videlicet Eremitarum, Carmelitarum Diſcalceatorum, Bonfratellorum ægrotorum curam habentium, Recollectorum Franciſcanorum, id eſt, ad veterem ac primæuam diſciplinam noſtrâ ætate reuocatorum Minorum de Obſeruantiâ, aliorumque plurimorum Religioſorum virorum, atque Virginum; tum Confraternitatum ſæcularium hominum, diuerſorum inſtitutorum, priſti-

 no

no Ecclesiæ rigore ac disciplinâ: templa vel ab hæreticis olim profanata, vel incuriâ Catholicorum, & vetustate ipsâ collapsa, passim per totum regnum instaurata, & nouis fundationibus ditata: Clerique moribus ad præscripta Concil. Trident. reformatis, infinitæ animæ Christo lucratæ sunt; & vix quispiam ex Magnatibus reperitur, qui hæreseos labe contaminatus sit, in dignitatibus verò Reip. omnino nullus. Quinimò plurimi Sancti viri, qui sub eo vixerunt, miraculis & vitâ exemplari, tempora illius illustrarūt. Beatus nimirum Stanislaus Kostka, Soc. IESV, qui occubuit & quiescit Romæ: B. Ioannes Duclensis ex Ordine Minorum de Obseruantiâ, Leopoli in Russiâ: B. Ioannes Lublinensis Carmelita Discalceatus, Genuæ in Liguriâ: B. Ioannes, Parochus Bogucicensis, apud Rauam in Masouiâ: B. Iosaphat Archiepiscopus Polocensis in Ecclesiâ suâ, in Albâ Russiâ: Beata Heduigis Cantia, Romæ in templo S. Stanislai: aliique plurimi, sanctimoniâ & innocentiâ vitæ, atque doctrinâ salutari conspicui, vt Ioannes Laterna, Benedictus Herbestus, Iacobus Vuiecius, Petrus Scarga, Stanislaus Varseuicius, Ioannes Miescouius, Melchior Moscicensis, Bartholomæus Bontcouius, Simon Halicius, Rochus Posnaniensis, ex Theologis: & ex iis qui Sacerdotij infulas ex virtute gestauerant, Stanislaus Carncouius, Demetrius Solicouius, Hieronymus Rozraseuius, Mathias Pstroconscius, Paulus Volucius, Simon Rudnicius, Petrus Tylicius, & Ioannes Trebnicius. Ex pur-

purpuratis demum, Georgius Radiuillus, & Bernardus Macieiouius: quorum vterque ob probitatem vitæ, & candorem animi, eò Sacerdotij processerat, vt vix quidquam posset addi fastigio. Possem & alios infinitos referre, quorum pietatem insignem in Deum, & zelum in religionem Catholicam, nulla vitiorum tempestas libauit, inter quos eminet Sophia Tomicij, nullo alio cibo aut potu per annos aliquot viuere solita, nisi solâ Corporis Christi in Eucharistiâ sumptione Sabbatinâ: tum Ioannes Zauissa vitæ Eremiticæ deditus, nec alio victitare per multos annos assuetus, præterquam paruis pisciculis, quos ipse in torrente cepisset: & Georgius demum Comes Conopatius, Stoæ Christianæ Philosophus, qui per annos triginta & ampliùs, sub Christi Crucifixi imagine, in capulo, cui mortuus includi debuerat, nudus dormire, quid dormire? imò insomnes noctes traducere solitus, continuâ mortis meditatione animum pascens. Sed ad ipsum SIGISMVNDVM iam propero: qui auitam SIGISMVNDI Primi pietatem æmulatus, singulis diebus sacrum Missæ sacrificium deuotissimè audiebat, singulis diebus festis publicè sacris & concioni intererat: in omnibus Deiparæ & Apostolorum profestis, priuatim, die verò Parasceues, cum toto Senatu, qui tum illi præsens adesset, palàm in templo maiori sacram Synaxim incredibili pietate sumebat; dieque CORPORIS CHRISTI quotannis semper solemni supplicationi per vrbem aderat, capite aperto incedens, & manu tædam religiosissi-

 mè

mè gerens. Noſſe enim ante omnia ſummum illud Numen, quatenus homini per Eccleſiam datum, & cognitum piè pureque venerari, hoc demum ſummam pietatem eſſe exiſtimabat. Hinc quoque & loca ſacra, vbi illud peculiari religione coleretur, deuotiſſimè viſitabat: præcipuè Diuam Claromontanam (vulgò Czenſtochouiam dicunt oppidum templo D. VIRGINIS celebre, quod illic multæ religionis eſt) & S. SIGISMVNDVM, Plociæ; cuius caput auro incluſum gemmis inæſtimabilibus exornauit. Tum & aliorum Sanctorũ cum Deo regnantium templa & Reliquias pretioſiſſimis donariis veneratus eſt. Et Gneſnenſi quidem Eccleſiæ, pro aſſeruandis D. ADALBERTI cineribus, tumbam argenteam dedit. Vilnenſi verò, vbi S. CASIMIRVS, auus eius maternus, corpore incorrupto quieſcit, trium millium librarum capulum argenteum, duploque maioris pretij altare eiuſdem metalli, tum campanam miræ magnitudinis, exquiſitiſſimique marmoris capellam extruxit: ſicut & baſilicam, ſub eiuſdem titulo ac patrocinio, in medio vrbis foro; ſimili planè formâ, quâ & Principibus Apoſtolorum PETRO & PAVLO, Cracouiæ in viâ caſtrenſi erexit. Multaque prætereà paſſim per Regni prouincias, ſacris Cælitum pignoribus templa illuſtria fieri iuſſit, donariis ditauit; & honorem eorum apud Sedem Apoſtolicam, quò faſtis Beatorum adſcriberentur, diligentiſſimè procurauit. Speciatim verò Sancti Hyacinthi apotheoſim pompâ atque apparatu incredibili adornauit, vt vel Conſtantinos,

nos, Theodoſios, Iuſtinianos, Heraclios, Ludouicos, alioſque Sanctos Reges ac Imperatores, quos tantopere laudat ac miratur antiquitas, ſuperare hac in parte videatur. Sed & hæc, & alia plurima, quæ ſcripta ſunt in libro vitæ, ſciens prudenſque prætereo. Præterire verò non poſſum, quantâ cum teſtificatione pietatis Chriſtianæ, ex hoc rerum turbine, ad quietem perpetuam migrauerit, vitamque tam ſanctè ac laudabiliter actam, non minùs ſancto ac laudabili fine concluſerit. Qui cùm ſibi ex hac vitâ abeundum eſſe ſentiret, omni curâ id egit, vt cogitatione in cælum defixâ, terreni Regni faſtigia deponeret; & ex ritu Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis expiatus, meliorem coronam adipiſceretur in cælis. Corpus enim è terrâ concretum, tam diu terreſtrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipſam, vnde ortum duxit, reuertatur: animus verò qui è cælo ſumptus eſt, ſempiternum quiddam & cæleſte appetit, nec iiſdem quibus corpus finibus cogitationes coërcet ſuas. Condocefactus itaq; rerum mutabilitate Rex PIISSIMVS ea totâ vitâ appetere, quæ morienti forent appetenda, nihil morte exterritus eſt, dum vitam hanc ſibi deſerendam videret. Sed in diuinâ bonitate ac miſericordiâ omnem ſpem reponens, & ad illam æternam, boniſq; omnibus & iuſtis promiſſam vitam, toto pectore anhelans, Filiis primùm ſuis chariſſimis ac Regno benè precatus eſt: deinde omnem promiſcuam multitudinem, portis apertis, ad manus oſcula admitti iuſſit. Atque ita cunctis placidiſſimè vale-

valedicens, ſpiritum illum ingentem, robuſtum, poſt crebras animi verè Chriſtiani ſignificationes, cælo, vnde venerat, reddidit. O Kalendas Apriles atro lapillo notandas, quibus tanto Principe orbati ac deſtituti ſumus! O nuntium acerbum, cuius querulâ voce, tam ſancti Regis, tamque Pij Patriæ Patris obitum Poloni accepimus! O miſeram humanæ vitæ conditionem, quâ tam incomparabilem cladem, tam calamitoſam iacturam Sarmatæ ſubijmus! Cuius enim quotidie integritatem & candorem conſpiciebamus, ſapientiam experiebamur, liberalitatem ſentiebamus, & à quo ad religionem, ad manſuetudinem, ad honeſtatem inſtituebamur, eum nunc extinctum videmus. Quid igitur aliud agere poſſumus, quàm vt lugeamus, vt modis omnibus teſtemur dolorem noſtrum, & quod vitæ reliquum eſt, in mœrore ac lacrymis tranſigamus? Amiſimus enim inter bonos Principes Optimum, inter pios Reges Sanctiſſimum, inter fortes & bellicoſos Feliciſſimum & Maximum, inter egregios & prudentes Sapientiſſimum & Clementiſſimum, inter beneficos & liberales Munificentiſſimum, & quietis publicæ amantiſſimum, qualemque Sarmatæ ſemper priuatim & publicè deſideraturi ſumus. Si itaque Romani olim ex impiis & infidelibus Principibus ſuis Antoninum Imperatorem, eò quòd ſubiectos ſibi populos diligentiſſimè rexerit, PIVM in vitâ, DIVVM verò ab obitu, Senatus decreto appellauêre: cur nos SIGISMVNDVM noſtrum, totâ ſuâ vitâ, Chriſtianâ pietate illuſtrem,

luſtrem, vel poſt funera PIISSIMVM non appellabimus? cur diuina aſſiduè contemplantem, Diuiſque, pro tantis ſuis meritis, vti piè credimus, aſſociatum, poſteris in exemplum non prædicabimus? Cur non extollemus ipſius clementiam, ingenium, Sanctimoniam, religionem? Cur non proſequemur laudibus mirabilem in omni actione ipſius modeſtiam, in moribus grauitatem, in gubernando prudentiam, in præcipiendo æquitatem, in exſequendo ſapientiam, ſplendorem in publicis, atque in priuatis moderationem? Cur non commendabimus monumentis, æternitati, ſingularem pietatem ipſius erga Deum, Diuos, templa, beneficentiam verò & liberalitatem incomparabilem erga omnes, tam ſubditos quàm extraneos? Iidem medius fidius Romani, Ælio Pertinace occiſo, à Præfecto Prætorij Læto, cùm ſex menſibus tantùm imperaſſet, ingentes doloris ſui ſignificationes ediderunt optimo Principe orbati, adeò vt in foro à populo vniuerſo acclamatum eſſet: *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus, Patre pio, Patre Senatus, Patre omnium bonorum.* Nos quadraginta quatuor annis, & ampliùs, à SIGISMVNDO REGE prudentiſſimè feliciſſimeque gubernati, quid aliud dicere debemus, illo nunc intempeſtiuè ſublato, niſi idem quod & Romani? SIGISMVNDO regnante feliciter viximus, nullum vicinum Principem timuimus, omnium inſurgentium in nos potentiam fregimus, omnes circumquaque hoſtes deuicimus patriam defendimus, & eius exiſtima-

tionem seruauimus: PATREM non Regem, PATRONVM non Dominum habuimus; illoque pro publicâ dignitate excubante, hactenus non sospites modò sed & florentes fuimus. Quare etiam defunctum nunc vti Patrem & amicum ploramus; inque felicitatis parte numeramus, si vel minimam guttam lacrymarum nostrarum illius cineribus superfundere possimus, qui Patriam nostram legibus, opibus, ædificiis, humanitate, elegantiâ & gloriâ, longè florentiorem quàm acceperat reliquit: iustitiæ verò, sapientiæ, atque constantiæ famâ, quæ propriæ regiæ sunt virtutes, nemini etiam veterum concessit. Quemadmodum igitur Metellus quondam Numidicus, mortuo Scipione, filijs suis iam tum amplissimis in Repub. honoribus præditis, dixerat, cohortans ipsos vt defuncti corpus humeris subjicerent & sufferrent: *Ite filij, celebrate exequias, nusquam enim ciuis maioris funus videbitis*. Sic ego, ô Poloni mei, simile quid dicere possum vobis; qui cum Serenissimis Principibus vestris, tantâ deuotione, tam pio adfectu, tam religioso cultu, iusta desideratissimo Regi vestro peragitis, incerti num parem obsequij funebris pietatem vmquam aliàs sitis impensuri: Ite bellicosi Sarmatæ, irrigate lacrymis tumbam potentissimi Regis vestri: qui bello clarus, pace iustus, consilio grauis, animo semper inuictus extitit. Plorate, fortissimi Equites, obitum victoriosissimi Imperatoris vestri, qui omnium Regum, Principum, populorum, nationumque ora solus in se conuerterat.

rat. Efferte humeris vestris, Proceres Illustrissimi, cadauer, numquam satis laudandi, numquam satis lugendi Principis vestri, qui magnificentiâ, bonitate & religione suâ cuncta plena & referta apud vos reliquit. Vosque quotquot estis ciues & incolæ Regni Poloniæ, deductum ad rogum Regem vestrum, cuius operâ floret ingenijs, valet opibus, pace ac otio fruitur, legibusque optimis viuit Sarmatia vestra, pijs suspirijs & recordatione æternùm ita prosequimini, vt non vno mausoleo SIGISMVNDVS vester inclusus esse videatur; neque vno tumulo iaceat, sed omnium quibus profuit pectoribus oculisque tumuletur, omniumque apprecationibus & votis factus DIVVS, in cælis gloriâ sempiternâ perfruatur.


DIXI.



APPROBATIO.

ORatio hæc in obitum SIGISMVNDI III. *Magni Poloniæ & Sueciæ Regis publicam meretur lucem; vt illius Prudentia verè Regia, & Pietas verè Christiana, uniuerſo Orbi innoteſcant.*

Gaſpar Eſtrix Plebanus Antuerpienſis & librorum Cenſor.





Hist. Polon.

b. opra

